

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1752)
Heft: 28

Artikel: Oratio exponens vitam, fata ac virtutes [...] Gabrielis Crameri, [...]
Autor: Jallabertus, Joannes / Cramer, Gabriel
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394727>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 30.01.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



ORATIO

exponens Vitam, Fata ac Virtutes

V. Clar. GABRIELIS CRAMERI,

Philosophia Profess. in Illustr. Acad. Genevensi

dignissimi:

habita a

JOANNE JALLABERTO,

quum relictam a Cramero

PHILOSOPHIÆ PROFESS.

adiret.

INfelix ego, cui nec decenter tacere, nec apte
 satis eloqui licet. Officio tamen teneor lau-
 dare Philosophiam; vel potius, quod magis
 gratum acceptumque habebitur, celebrare
 memoriam desideratissimi CRAMERI, omnigenæ
 tum scientiæ tum virtutis luculenti exempli: Quem
 luget Resp. Civem, Academia Doctorem, ego
 Præceptorem, cui omnia mea debui & debeo.
 Enimvero si reconditoris doctrinæ puriorisque

virtutis recordatio , si doloris acerrimi sensus disertos atque ornatos faceret Oratores , Orationem meam & vobis , Audd. , & summis *Crameri* meritis dignam fore considerem. Verum non immerito vereor , ne quæ attigero , jejunius multo atque exiliùs quàm par esset persequar ; multàque insuper memoratu digna , prorsus omittam ; sicque egregii illius Viri laudes ingenii culpâ deterram ; haud ignarus , Clarorum Virorum præconium nonnisi facundos atque exercitados decere. In id tamen , quando res ita cogit , pro virium ratione incumbam , & quasdam è plurimis **CRAMERI** laudibus recolam , historici potius quam Oratoris munus obeundo , cui mei impares sunt humeri. Vos autem , Aud. , quibus res cognitæ sunt & exploratæ , ex iis rebus quæ a vobis cognoscuntur , non vero ex iis quæ dicturus sum , quantus fuerit *Cramerus* velim judicetis.

Genevæ natus est **GABRIEL CRAMERVS** Anno post Christum **MDCCHIII.** pridie Cal. Aug. e familia cujus honos , nomen , laudesque semper manebunt.

Patrem habuit **J. J. Cramerum** e ducentum Viris & unum e Sexaginta , Virum gravissimum , experientissimum , qui ultrà quinquaginta annos , magno civium & exterorum solatio , artem medicam in hâc Urbe professus est. Iste tres alios , præter nostrum , sustulit filios inter se conjunctissimos , quorum duo etiamnum superstites ; Natu maximus **Lycæi** nostri quondam decus , nunc **Exconsul** meritissimus , & de **Rep.** ex omnium votis diù benè meriturus. Quem patriæ lumen & ornamen-

namentum , litterarum cultorem & vindicem laudat Civitas , suspicit Academia. Alter vero morum suavitate , medicinæ peritia , eruditione , rerumque experienciâ multiplici commendatissimus. Quibus Filiis beatus Pater , paterni voti compos factus est , si quisquam alius. Sed & hoc insuper felix fuit , quod ipse felicitatis suæ præcipuus fuerit Autor & artifex ; cui nempe summa semper cura fuit , liberos pro ætatis conditione , cum pietatis Christianæ , tum etiam civilis vitæ præceptis imbuere. Noverat enim , pueros quibus semel imbuti fuerint rudimentis diutissimè ea servaturos ; patriamque eos cives habituram quales institutio formaverit. Quare effectum est , ut quæ in natis quotidie magis emicabant naturæ dotes , eas sedulo excoleret Pater sapientissimus , nec ulli curæ parceret , ut ad optatum finem perveniret. Patre felices filios ! Filiis fortunatum Patrem !

Itaque Præceptor intereà domi cito nostrum eas litteras , quibus puerilis ætas informari solet , doceri curavit. Quas tantâ alacritate puerulus apprehendit , ut nondum quatuordecim annos natus , ad prælectiones Academicas summo cum Professorum applausu fuerit promotus.

Hic nullum tempus sibi a studiis vacuum patiebatur , & tanto fervore in linguæ Latinæ & Græcæ studium incumbibat , ut non modo Autorum , quos eo tempore exponebat Cel. CROMELIN , sed et benè multorum lectionem absolverit ; Ex quibus linguarum genium adeptus , ita emendatum ac terium sibi comparavit stylum , ut nullus

eo vel politius loqueretur , vel expeditius & elegantius scriberet.

Hisce præsiidiis instructus ad ista, quæ circa Philosophiam & Mathesim versantur, studia noster animus adiecit, quasi ad hæc naturâ factus; tantosque in iis fecit progressus, ut medio vix emenso stadio, eum jam metam attigisse, ex iis The-sibus colligere promptum sit, quas, præside Patre meo, qui tam egregium discipulum in deliciis habuit, propugnavit. In iis totam de Sono theoriam intrâ unius Dissertationis cancellos cogere aggressus est. Sedulæ apis instar, ex hoc ingenti varioque campo collegit, quidquid præstantiâ atque elegantiâ eminere videbatur. De quo specimine tantum augurii facile fuit capere, quantum a floribus non fallacibus speratur fructus.

Nec multo post, Patre meo (*) e vivis sublato, Philosophiæ Cathedram, quam vacuam relinquebat, publico certamine noster appetivit annos natus undeviginti adolescens; antagonistas expertus spectatissimum Virum AMADEVUM DE LA RIVE Eccles. Genevensis Pastorem facundiss. qui in Patris locum fuit subrogatus, & JOH. L. CALANDRINI sibi conjunctissimum.

Hic autem intrâ pectus meum vix sese continet gratus animus, quin celeberrime DE LA RIVE in laudes tuas erumpam; Quin enarrem quis tuus sit
Candor,

(*) Is erat Vir Cl. STEPHANVS JALLABERT, V. D. M. Philos. & Mathes. Professor.

Candor , quæ doctrina , quæ diligentia , atque dexteritas ; At plura dicere coram vetat modestia tua ; unum mihi hoc indulgeas Lyrici votum :

Serus in Cælum redeas , diuque

Lætus intersis

Ecclesiæ , Academiæ , bonisque omnibus !

Attamen sua Clariss. Antagonistis non defuit merces ; simul enim de remunerandis ipsorum laboribus , tantæque spei Adolescentibus Academiæ vindicandis cogitaverunt Patres Conscripti. Itaque anno MDCCXXIII. Septembri mense , a ducentum Viris utrique fuit demandata *Matheseos Professio* , cui tunc primum , horum gratiâ , stipendium fuit attributum.

Quo honore impetrato , non otio sese mancipaverunt doctissimi Juvenes , perindè ac si jam votorum summa ipsis obtigisset ; sed contrà ad majora hîsce præmiis incitati , in id diu noctuque incubuerunt , ut certatim & ex composito in Mathematicis præsertim egregios facerent progressus.

O nobilissimum amicorum par , qui una spe doctrinæ incitati , invidiæ expertes , mutuâ virtutis admiratione ad eruditionis culmen contendunt ! Quam pura & sublimis amicitia , ubi alter alteri regula est & amussis , qua rectum a curvo & via simul brevissima discernitur !

Incredibile vero dictu quanti sit momenti optimo doctoque Viro vitæ socios eligere , quibus-

cum studiorum suavissimum utilissimumque commercium agitare possit. Quantum hoc conferat, non modo ad animi molestias levandas, verum etiam ad imaginationis Vires producendas, immo sæpe coercendas; & ad ingenium per lusum fere acuendum & perficiendum. Ita sentiebat noster, adeo ut per totum vitæ spatium nemo plures sibi devinctos cum cives tum externos habuerit, ac diligentius coluerit; ipse omnibus charus & desideratissimus.

Reversò e regionibus exteris sibi dilectissimo Collega, ad eas suâ vice perlustrandas sese accinxit noster, non ut amplas Urbes, Principumque luxum miraretur; sed ut populorum ingenia & mores, virorumque peritorum inventa perspecta haberet, atque sic sibi & civibus suis prodesset, sui-que expectationem, si non vinceret, saltem tueretur.

Hæc animo versans, Majo Mense Anni MDCCXXVII. Basileam se primum contulit, Mathematicorum nostri ævi facile Principes BERNOLLIOS invisurus; quorum favore, humanitate, consuetudine sic usus est, ut abstrusiora *Calculi infinitesimalis*, sic dicti, cum eo libenter communicarent. Illi nostrum tanti fecerunt, ut *Job. BERNOLLIVM* sæpius audiverim dicentem, se novisse neminem qui penitiùs *Cramero* mentem suam inspiceret; nec quemquam esse cui veterum ac recentiorum Mathematicorum methodi magis forent perspectæ. Prolixam suam de nostro opinionem atque in eum animi propensionem planè testati sunt *Bernoullii*, cum utriusque fratris *Jacobi* & *Johannis* opera omnia, una cum commercio eorundem

rundem Epistolari ad eum miserunt, data facultate pro arbitrio excerpenti, quæcunque ex iis prælo digna viderentur.

Basileæ per sex menses commoratus in Angliam transvectus est & post aliquam *Londini* moram *Cantabrigiam* invisit. Postmodum *Oxonium* perrexit, alteram Angliæ Academiam, ædificiorum elegantiam atque Bibliothecâ Bodleianâ, cujus divitias noster sedulo lustravit, admodum insignem. Inde *Londinum* rediit, ubi quam honorificam de se estimationem apud Basileenses reliquerit, perspicuum ejus rei accepit documentum, cum ab inclytæ Universitatis Basileensis Curatoribus per litteras ipsi hoc negotium deferretur, ut Instrumenta ad Physices experimenta in Universitatis suæ usum ad arbitrium suum construi curaret. Hic quemadmodum Oxonii & Cantabrigiæ, præstantissimos Viros, præsertim inter Mathematicos, adiit, **CELEB. STERLING, SANDERSON, DE MOIVRE, JURIN**; quorum omnium in familiaritatem admissus, experientiæ ac scientiæ Thesaurum insigniter auxit. Tum vero exquisitam librorum Anglico idiomate conscriptorum copiam sibi comparavit, & Anglicam linguam adeo sibi familiarem reddidit, ut non tantum Anglorum scripta in suos volvere usus, sed & in aliorum vertere potuerit commodum.

Ex Angliâ in Belgium postquam rediisset, præcipuas ejus inspexit Academias: Leydensem vero selegit, in qua sedem sibi figeret diuturniorem, nobilibusque studiis incrementum daret. In ea tunc florebant **BOERHAVIUS, VITRIARIUS,**

ALBINVS , a quibus non mediocria amoris & favoris documenta accepit ; S'GRAVESENDIO autem innotuit & placuit , qui deinceps nostrum semper maximi fecit.

Hinc inde , mercatorum more , merces ad Patrios usus ex omni parte colligens , *Lutetiam* contendit , infinitis artis & naturæ miraculis , præcellentique litterarum gloriâ , toto orbe celeberrimam. Ibi apud Viros ingenii atque eruditionis laude celebratissimos , quibus illa civitas abundat , tanta existimatione ac famâ floruit CRAMERVS , ut de eo honoribus ornando dulcis sæpè inter eos oriretur Contentio , incertumque esset utrum ipsum magis admirarentur an amarent. In primis autem conjunctissimè & amantissimè cum celeberrimis *De MAIRAN* , & *Le CLERC de BUFFON* vixit , quos inter & nostrum arctissima ad b. obitum usque perstitit amicitia. - Quin etiam ut tunc temporis , ita cum postea anno hujus Sæculi XLVII. (Celsissimo Gothano Duce rogante) Parisios repeteret ; Viri Illustrissimi Excellentissimi quique ingenio & doctrinâ CRAMERI adeo delectati sunt , ut eum in suavissimam Societatem admiserint , ipsorumque adversus nostrum perpetua & constans fuerit voluntas. Ex horum numero mihi sint instar omnium , *Franciæ Cancellarius D. DAGVESSEAV* , & *Baro de BERNSDORF* , *Daniæ Regis olim Legatus in Galliam* , nunc *Administer* ; Ambo de Viris litteratis optimè meriti ipsique litteratissimi : scil. *Tantis placuisse Viris non ultima laus est.*

In Patriam reduci quoscunque ambire posset honores & Patriæ Patres , & Ecclesiæ Pastores & Aca-

Academiæ Professores, prout cunque res ferebat, certatim obtulerunt. Anno MDCCXXXIII. sine æmulo *Matheseos Professor* renunciatus est & Venerando Pastorum Cætui præter morem adscriptus. Anno verò MDCCL. cum Celeberr. CALANDRINVS Academiæ amor & decus in Senatorum Ordinem fuisset relatus, omnium applausu *Philosophiæ professio CRAMERO* nostro demandata est, ut qui suæ eruditionis testem, universum orbem litteratum, appellare posset.

Ne expectetis, Aud., ut quæ in hisce Provinciis gesserit Cramerus pluribus ego exponam verbis: Quanta scilicet fide, quanta diligentia & dexteritate suis omnibus muneribus fuerit defunctus; Quâ ingenii acie in naturæ arcana penetraverit; Quàm clarè rerum abdita in apertam lucem protraxerit; Testes sumus quotquot eum publicè privatimque docentem, legentem, differentem audivimus. Illi profecto inerat singularis docendi facultas atque tanta, ut miranda arte ad rudium captum descenderet, & doctrina instructiores ad eruditionis fastigium perduceret. Quoties discipulos vel in argumentando aberrantes vel in percipiendo fluctuantes animadverteret, expeditissimam eluctandi viam illis quasi digito monstrabat, atque horum in gratiam & usum, varias *Dissertationes* ex nobilissimis argumentis publicè examinandas proposuit, quæ a doctis hodièque magni æstimantur & avidè conquiruntur.

Orationibus quoque plurimis solemnia Academica condecoravit *Cramerus*, singulis argumentò insignibus, stylò splendidis, tractatione gravibus, &

ad priscae eloquentiae nitorem ac maiestatem quam proximè accedentibus : *Inauguralis* ejus *Oratio de Utilitate Philosophiae in Civitatibus regendis* , quam anno superiori in lucem edidit , nec non ejus *Oratio de Tritici in lolium degeneratione* , in Diario Tigurino publici juris recens facta , inter primas eminent , non solum ingenii solertiâ , sed & sermonis elegantia ; atque utinam caeterae , typis non minùs dignae , proelo excuderentur. Ad haec accedebat vox mascula & sonora , gestus decorus , atque totius corporis ad venustatem & gratiam composita moderatio.

Id vero temporis , quod ex Academicis Orationibus reliquum ipsi superfuit , id omne in Mathesi & Philosophia novis accessionibus & inventis ornanda , vel in Reip. Commodis promovendis impendebatur. Etenim praeter Dissertationes & Orationes , de quibus diximus , nec non varia quae Diariis litterariis vel aliorum operibus inseruit , atque ad Academias transmisit , scripta elmatissima ; in defuncti Scriniis jacent , ejus de *Logicâ* , *variisque Matheseos & Physices partibus* , nec non de *veterum Mathematicorum Scriptis & Methodo Lucubrations* ; vix quidquam praeter typographi operam desiderantes. His accesserunt innumeræ de selectissimis rebus *Epistolae* , quarum in plerisque rerum penetrabilia tam sagaci oculo scrutatus est , ut iis perlectis non tantum suam mutaverint sententiam Viri acutissimi , sed & illius opinionem , seu potius demonstrationes , sint amplexi , ut ex *Diario Gallico & Regiae Scientiarum Academiae Paris.* actis abundè colligitur. Haud exiguus etiam fuit ejus labor in conquirendis , digerendis , locupletandis

tandis *Bernoullianis operibus*, quorum octo volumina, argumentorum nobilitate & difficultate præstantia, summo rei litterariæ emolumento, in lucem edidit. Suam quoque merentur laudem *WOLFII* (*) *Opera Mathematica* multo accuratius ab eo edita. Sed in primis ei debemus eximium opus de iis quæ intricatiora sublimiorave habet *Mathesis*, quod (**) *Introductionem in Analysin linearum curvarum* modestè inscripsit, in quo opere ulterius quam ipse *Newtonus* felici ausu progressus est. Linearum tertii ordinis enarrationem tantum tradiderat *Newtonus*, nec quo usus fuisset filo apertè significaverat. Hanc vero à *Newtono* excogitatam methodum non solum *CRAMERVS* demonstravit, sed & eam universaliùs toti curvarum Algebraicarum doctrinæ mirâ perspicuitate & elegantia applicuit; undè nunc patescunt cujusque ordinis linearum præcipuæ proprietates atque æquationes; nec non quâ ratione curva quælibet, in aliam ejusdem generis transformari possit. Insuper ex ramorum in infinitum excurrentium indole & numero, curvarum omnium ordinum in sua genera subdivisionem utilissimam & commodissimam desumpsit; & ex varietatibus quæ sub uno genere deprehenduntur, verbi gratiâ, ex punctorum multiplicium vel inflexionis genesi & naturâ, genera ad suas species referré docuit: Quibus tam nobile inventum auxit & perfecit, ut ad reconditas

ac

(*) *Elementa Matheseos. V. Vol. 4to maj. Genev. a 1732-1742.*

(**) *Introduction à l'Analyse des Lignes courbes algebraïques à Geneve 1750. 4to.*

ac etiamnum pœnè impervias regiones lustrandas
viam aperuerit planiorem ac faciliorem.

Tam exquisita rerum Mathematicarum cognitione, totque insignibus præclari ingenii monumentis, quaquaversum pervulgatâ ejus famâ, dignus visus est *Scientiarum Academiis Londini, Bero-
lini, Bononiæ, Monspeli & Lugduni* florentibus qui ab ipsis cooptaretur. Quid quod & de CRAMERO in Regiam Academ. Paris. adscribendo, cogitasse illustrissimos Academicos, ex apertis constat indiciis.

Nunc si qui sint qui sterilem Mathematicorum contemplationem conquerantur, quasi ad civilem hanc vitam & cultiorem & instructiorem efficiendam, nulla vel profus exigua suppeditaret adminicula; Illi & Ampliff. Proceres & benè multos cives adeant; & quid ipsis, quid Patriæ uterque amicus CALANDRINI & CRAMERVS profuerint, quærant. In artibus perficiendis, in fluviis coercendis, in munimentis extruendis, in ædificiis publicis, v. g. in æde D. Petri restaurandâ, neminem majoré cum fructu invigilasse ipsi intelligent.

Adfunt & permulta alia, quæ nostri in patriam amorem, ejusque non vulgarem rerum pulcherrimarum notitiam apertè declarant. In rebus ad historiam nostram pertinentibus, adeo fuit versatus Cramerus ut de singulis earum circumstantiis atque causis rogatus, ex tempore differeret, veluti paratus accessisset. Notissima habebat Reip. Jura, autoritates & tabulas; & cum veteres versaret
manu

manu Codices, plura non mediocris usûs scripta in Curia Archivis recondita, a tineis blattisque erosa, ac vetustate oculos in multis propè fugientia detegebat, & accurata manu interdum describebat. Tandem apud Ducentum Viros & in Pastorum cætu, ubi magnâ cum laude sæpè verba fecit, quantum ei prudentiæ & sagacitatis in quibuslibet negotiis tractandis! Quantum animi & libertatis ad proferenda quæ vera & recta essent? Nunquam ille in dicendâ sententiâ quidquam aut gratiæ aut metui concessit; Nihil veritate prius habuit.

Nec Oratione nostrâ indictæ abibunt ejus Disquisitiones de *Tabulis ceratis* impensas Regiæ domûs Philippi IV. cognomine *Pulchri*, ad postremos sex menses anni MCCCVIII. exhibentibus. Inter plura summi pretii, quibus Bibliothecam publicam ornavit atque cumulavit Cel. *Am. LULLIN*, præclarum sanè donum! Harum Scriptura multis Siglis, litterarum compendiis ac insolitis notis constans, adeo erat deleta, ut vix unam aut alteram lineam quivis alius legere potuisset. Attamen eo ingenio, eaque dexteritate illas tractavit Cramerus, ut paucis diebus non modo quod in iis contineretur argumentum perspexerit, verùm etiam quæ tempus edax deleverat alios quàm distinctissimè doceret, ceu ostendit exemplar quod in publicâ servatur Bibliothecâ. Id cum audivisset supremus Galliarum Regis Bibliothecæ præfectus, optavit non introspicere modo; sed & alterum Tabellarum nostrarum exemplar in Regiam transferre Bibliothecam, quod per Cramerum effectum est.

En, Audd., quæ fuerit CRAMERI Doctrina, quæ fama, qui labores! His equidem multa præclara addere possem, si per temporis angustias liceret. Quod si summa eruditio, quo pluribus conjuncta est cum virtutibus, eo sit amabilior: Quo in alio unquam gratior emicuit aut pulchrior quàm in nostro, qui per totum vitæ curriculum pietatem in Deum & benevolentiam ergà homines diligentissimè coluit? Intelligebat enim Vir experientissimus, ut cunque cætera non desint, neminem tamen in hâc palæstrâ cum laude versaturum, ad cujus ingenium & doctrinam morum integritas non accesserit.

Consortium ejus jucundissimum fuit & Viris literatis ob animi sinceritatem & candorem, quo factum est, ut in commune omnium commodum cederet ejus doctrina, ejusque ingenii acumen; præsertim studiosis juvenibus, ob insignem benignitatem, quâ vel minimos semper excipiebat, pronis ubique studiis juvabat: Rogares ut aliquod naturæ phænomenon explicaret, explicabat; ut problema aliquod solvendum edoceret, edocebat; ut opus aliquod recognosceret, (& quot quantive ad nostrum, quasi ad aliquod Oraculum, confugerunt?) recognoscebat. Ita vivebat magis aliis quàm sibi. Quâ insuper fide & prudentiâ in amicitia fuerit versatus, non ego vobis; sed vos mihi eritis testes, quotquot unâ mecum amicè ac familiariter eo estis usi; Accedebat quod ejus consuetudinem faciliorem & jucundiozem reddidit, argutiarum & urbanitatis quidam lepos, quò, tanquam sale, conspersi fuerant omnes ejus sermones.

Quid

Quid de Religione ac Pietate in Deum? Notum est illud *Suetonii* de Tiberio effatum: *Circâ Deos erat ille negligentior, quippe addictus Mathematicis.* At noster ab impia hujusce sæculi corrupti opinione, Religionem nempe inane esse vulgi terri- culum, non modo semper se immunem præsti- tit; sed contra ipsi nihil antiquius fuit, quam ut suam in Deum reverentiam, Christianæque Reli- gionis fidem faceret testatam. Sacræ vero Scrip- turæ intelligentia adeo præstabat, ut nesciam an in explicandis verbi Divini locis obscuris, an in expediendis nodis, an in astruendâ cælesti veritate, quisquam eo fuerit promptior: Quod grato animo non semel experti fuere Venerandi Pastores. At- que sic in mediis suis laboribus, quibus nulla un- quam dabatur intermissio, heu nimis cito abre- ptus! Nobis triste desiderium, posteris memori- am nominis sempiternam, omnibus imaginem pulcherrimam reliquit.

Quam vellem, Audd. hîc Orationis abrumpere filum, horæque fatalis, cujus meminisse horret, non revocare memoriam. Ut animus erat Cra- mero fortissimus, ita corpus obtigerat ei à natura firmum, firmâque valetudine usus fuerat, quæ tamen multiplici studiorum contentione creberri- misque litterarum commerciis nonnihil fracta, eo itinere quod anno MDCCXLVII. Lutetiam Pari- siorum instituit, labefactari cœpit: Ex eo tem- pore corpus ejus languore & obstructionibus labo- ravit, quod licet sentiret ipse ac profiteretur, ni- hil tamen de consuetis laboribus remittebat. Gra- vis non multo post accessit casus; indè pedes tu- mescere & tussis cum corporis macie se prodidit.

Quam-

Quamobrem ex cognatorum amicorumve consilio, medicinæ morbo faciendæ gratiâ, ad Provincias Galliæ meridionalis per hiemem invisendas se accinxit, unâ cum duobus e familiarissimis & sibi dilecto Fratris filio, eximiæ spei adolescente, (cui præter alia, pretiosissimam Manuscriptorum atque librorum suppellectilem testamento legavit :) Neque silentio possum prætermittere eum, ut Bibliothecæ publicæ augmentum curæ semper cordique habuit, nobilissimum suæ in eam voluntatis testimonium etiam in extrêma vitæ periodo extare voluisse.

Visus quidem est statim vires in via revocasse, sed Lugdunum quum esset profectus, gravius ægro-
tate cæpit ac interdum animo linqui, ita ut *Bal-*
neolis subsistere coactus sit, ubi die Januarii hujus
anni IV. inter adstantium lachrymas obiit; pul-
cherrimaque ejus anima in cælestem patriam post
XLVII. annorum & VI. mensium exsilium placi-
dè remigravit. Quò sævô nuncio, quis nostrum,
sive patriæ, sive rei litterariæ, sive Viri & Ami-
ci integerrimi jacturæ, haud secus ac propriis ma-
lis, totô & imô pectore non ingemuit! Quis la-
chrymis lachrymas optimorum fratrum fratre tan-
to orbatorum non exceptit! Sic vixit, sic obiit
Vir pietatis, modestiæ, diligentiæ, omniumque
virtutum exemplar admirabile; Philosophiæ &
Matheos peritiâ, eruditioneque variâ & multi-
plici nulli secundus, Patriæ grande decus, Du-
centum Virorum ac Pastorum cætus lumen claris-
simum; Academiæ Sydus splendidissimum; ami-
corum omniumque bonorum dulce solamen &
auxilium. Tuus, demum, ô devota bonis arti-
bus

bus atque scientiis juvenus, dux & doctor fidelissimus. Occidit, inquam, nobis, quibus nihil nisi perpetuum luctum & irreparabile damnum reliquit.

At quis ego sum, qui talis tantique Viri munus ac vices gerere non dubitaverim. Enimvero quotiescunque respicio ad ingenii mei tenuitatem, infirmamque valetudinem, sive suspicio defuncti dotes ac merita, ita mihi videor tanti Viri dispar ut animus sollicitus pariter ac dejectus totus stupeat & turbetur. Ac sanè, Audd. animadversione vestrà censoriæque severitatis notâ dignus prorsus viderer, quod arduam hanc amplexus sim Provinciam, nisi me à temeritatis culpa absolveret ægrè potius recepti, quàm sponte suscepti, impositi non ambitiose quæsiti, muneris ratio. Infirmam meam ut sentio, ita ingenuè profiteor; id unum maximè in votis habens ut mihi, si beati Decessoris vestigia premere non valeam, longo saltem intervallo ea prosequi, eumque tantulis Viribus imitari aliquatenus liceat.

Verùm, Auditores, vobis ne sim molestus vereor, dum me sic abripit amor in dilectissimi Viri laudes. Vela igitur contrahens, ad vos me convertito, *Ampl. Proceres, Patriæ Patres*, quorum cura & munificentia, Musis eheu labantibus! suis adhuc apud nos stat honos & præmium. Quas pro vestris in me beneficiis, quæ cumulata olim, novâ iterum accessione auxistis; quas inquam ego grates rependam! Non alias profecto desideratis quam indefessos ad benè de Academiâ merendum conatus, operamque in studiis assiduam. Id

vobis ego me lubentissimè , fideque sincerâ facturum polliceor. Faciet animis inhærens vestræ in me benevolentia memoria , nullum ut non moveam lapidem ne eâ planè indignus videar? Quod Viribus , quod ingenio deest , id compensabo diligentia ; animo firmabo corpus , & quidquid roboris utrique inest , totum id promovendis Academiae commodis consecrabo. Votis & conatibus nostris annuat supremus rerum Arbiter , cujuslibet Scientia fons & origo: Quem ut vos, *Viri Principes* , diu sospites & incolumes servare velit , in certissimam Reip. & Academiae salutem , toto pectore precor.

Dux Richmondia , Dux Illustrissime , Comites , Barones , Hospites , generosissimi , nobilissimi , quod hanc panegyrim praesentia vestra ornare & me benignè attentèque audire fueritis non dedignati , id ego maximi in beneficii loco repono , atque , veluti vestri in me studii indicium , debita reverentia , gratoque animo accipio. Vobis omnia fausta voveo !

Vobis quoque , Viri plurimum Reverendi Celeberrimi , vobis omnibus gratias quam maximas habeo & ago , quod me litteris vacantem semper juveritis , quod in Cœtum vestrum me cooptaveritis , quod ad hanc stationem unanimes me promoveri volueritis. Quæ quidem , dum mecum reputo , ea in spem me adducunt fore , ut quam sæpius expertus sum indulgentiam , eandem vos in posterum mihi significare ac exhibere pergatis , quod etiam atque etiam rogo , vestra recolens beneficia , neminem in æternum magis vobis
addictum

addictum ac mancipatum fore, velim magnopere
ut persuasissimum habeatis.

Tandem, Lectissimi Juvenes, patriæ dulcissima
spes, ex animo casum, luctum, orbitatem ve-
stram dolemus, quod Doctore ac Præceptore tam
eximio fueritis privati. Neque ego sum meæ te-
nuitatis adeo imprudens æstimator, ut vobis me
nominis tanti jacturam quomodocunque resarci-
turum spondere ausim. Verum tamen quicquid
in me est Virium aut Consilii, vobis id omne
ultra polliceor ac defero. Vestris enim commo-
dis ut consulam, vestra studia ut promoveam,
hæc mihi præcipua semper erit cura. Dixi.

